

24  
14  
**STATUTUM XX.**

**De Optione Habitationum et Celariorum.**

Quoniam senium et prioritas in omnibus attendi et ab omnibus observari debeat; ideo etiam in optione Habitationum et Celariorum hujus inclytæ Domûs more et praxi aliarum Communitatum eandem prioritatem observandam esse statuimus et decernimus Habitationemq; vel Celarium quomodocunq; vacantem vel vacans priori ad Collegium vocatione Professori, nisi ipse noluerit et priori sua Habitatione (quam unicam tantum habere et possidere debet) contentus fuerit, inferendam <sup>m</sup> v. inferendum esse censemus. Valde enim iniquum et absurdum est, si novi antiquis, minus meriti emeritis præferuntur. can. Statuimus. dist. 62. et can. fin. ac ibi gloss. v. Præferre. dist. 75.

**STATUTUM XXI.**

**De immisione Professoris in possessionem Habitationis.**

Cum traditio rei, tribuat possessionem ejusdem c. Ex literis. de Consuetud. ideo Professor accepta in Convocatione Domûs Habitatione se ad ejus possessionem et omnium ad eam spectantium per officium Domûs, vel si sit impeditum saltem per traditionem Clavium ad Habitationem acceptam spectantium, immitti petat. Clavibus enim traditis videtur tradi possessio eorum, quæ sub Clavibus continentur. l. Clavibus. ff. de Contrahen. emphon.

**STATUTUM XXII.**

**De conservatione et reparatione Habitationum.**

Quandoquidem Habitatione ad habitandum alicui commissa et ea, quæ in illa sunt per tex. l. Si ita. S. Domo. ff. de Fundo instruct. committi videntur; ideo Clarissimo Professori Habitatione <sup>per</sup>

per Convocationem Domus collata, et omni supelle-  
 onem spectans collata censetur, quam Habitationem cum supelle-  
 ctili per Præpositum Domus registrata et omnibus pertinentiis  
 ac pertinentiis ad eandem spectantibus in suo statu Clarissimus  
 Professor conservare studeat; imò cum suam domum per l. do-  
 mum suam. ff. de Regul. Jur. unicuique reficere, modò non officiat  
 alteri, liceat, eandem pro arbitrio et commodo suo, absq; læsione  
 tamen Parietum et Celariorum, aliàs ad restaurationem eorum-  
 dem proprio sumptu faciendam tenebitur, reficere, refectionem pi-  
 cturis, promptuariis, parietum coronis ligneis aliàs Listwami  
 et aliis ornamentis adornare poterit, modò in egressu de illa,  
 quæ clavo parieti affixa sunt et sine læsione parietis avelli  
 non possunt relinquat. Omne enim quod solo inædificatur, so-  
 lo cedere debet. S. Cum in suo. Instit. Imperial. de Her. division.

## STATUTUM XXIII.

### De Charitate mutua.

Quemadmodum sine<sup>via</sup> pervenit nullus, quo tendit, ita sine cha-  
 ritate, quæ via est, non ambulare possumus sed errare. can.  
 Caritas. dist. 2. de Penit. Ut igitur rectè in omnibus am-  
 bulemus et ne in quopiam erremus; statuimus quatenus in  
 nobis mutua charitas (quæ est omnium bonorum radix can.  
 Sive radix. loc. cit.) servetur. Nos invicem, non propter aliquas  
 utilitates, non propter Affinitates vel Consanguinitates, sed  
 propter hoc tantum, quod jux. d. can. Chartas. S. Proximos.  
 Naturæ nostræ simus participes diligamus. Nihil in nobis  
 nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate, ni-  
 hil immaniter, nihil inhumaniter. can. Prodest. 28. q. 1. Nun-  
 quam